dicendi nisi actu predicent quia aureola non debetur habitui
sed actui pugne 2 ad Thimotheum 2 Non coronabitur nisi qui le-
gittime certaverit. Notandum quoque quod predicare et docere
cum sint actus misericordie tamen inter spirituales elymosinas
computantur ¶ Enumeratio celestium gaudiorum xxx

Ultimo celorum gaudia sub epilogo numeremus non quidem
singula generum sed genera singulorum tot enim sunt
gaudia particularia quot quilibet habet in se vel in aliis quot
ea notitia plus dei comprehendit et illi quod summa sapi-
entia voluerit ea scire. Intantum namque quisque gaudebit
de bono alterius quantum de bono proprio quod tamen non est intellige-
dum de dimensione gaudii sed de numero gaudiorum tot igitur
et tanta sunt ibi gaudia quod omnes arismetrici huius mundi
non possent ea numerare omnes geometri non possent ea men-
surare omnes gramatici dyalectici et rethorici non possent ea
sermonibus explicare quia quod oculus non vidit nec auris au-
divit nec in cor hominis ascendit que preparavit deus dilige-
tibus se. ¶ Gaudebunt igitur sancti supra se de deo iuxta se
infra se de celi et aliarum creaturarum corporalium pulchritudine
intra se de corporis et anime glorificatione extra se de an-
gelorum et hominum associatione ¶ Deus omnes sensus spiritua-
les ineffabili delectatione reficiet cum ipse obiectum omnium
spiritualium sit futurus. erit namque speculum visui cithara
auditui. mel gustui. balsamum olfactui. flos tactui. ibi
erit candor lucis estualis. amenitas vernalis. habun-
dantia autumpnalis. requies hyemalis. ibi teste Augustino

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII78/0419
gefördert durch
Baden-Württemberg